

- COR.** tubulata, tripartita, obsolete trigona: *laciniis* linearibus, erectis, apice patulis, calyce longioribus.
- STAM.** *Filamenta* sex, subulata, corollæ versus inferiora adnata eaque breviora, quorum alterna conjungunt laciniâs corollæ. *Anthera* lineares, acutæ.
- PIST.** *Germen* &c. ut in Gen. Pl.
- OBS. Stamina alterna ipsas laciniâs corollæ combinant, adeo ut perfecte monopetala sit.
- Calyx in certa specie deciduus vel cum flore evanescit.

97. RHEXIA. *Gen. Pl.* 375.

Ex specie Americana, Rhexia calycibus foliisque hispida, herbacea, quæ Osbeckiam (cujus specimen ad me misit Osbeckius in Hispania) facie & fere fructificatione quodam modo refert, concludere licet, maximam hæc duo Genera intercedere affinitatem. Meæ speciei stamina non fuere declinata, sed erecta, filamentis ante florescentiam introrsum conduplicatis.

98. PAULLINIA. *Gen. Pl.* 393.

**CAL.** *Perianthium* pentaphyllum, inæquale; *foliolis* concavis, oblongis, coloratis; exterioribus oppositis lateralibus subrotundis, parvis; in dorsali oblongo, majoribus anterioribus similibus dorsali; persistens.

**COR.** *Petala* quatuor, obverse ovata, oblonga, calyce longiora, e sinibus calycis dorsali.

*Nectarium* tetraphyllum: *foliolis* apice crassiusculis, bifidis, petalorum ungui insertis, latere versus, foliolum dorsale calycis omnibus connatis, calycis longitudine:

**STAM.** *Filamenta* octo, subulata, approximata, quorum tria superiora breviora a nectario obteguntur; inferiora quinque ad sinum Corollæ inferiorem nuda, longiora. *Anthera* parvæ, oblongæ.

**PIST.** *Germen* oblongum, obtusum. *Styli* &c. ut in Gen. Pl. l. c. adeoque solo fere calyce pentaphyllo & nectario foliolis omnibus connatis (quæ nota an omnibus communis speciebus, nescio) realiter differt a Cardio-spermo.